

SCRIPTA

Numéro Scripta : 831

Auteur(s) : Geoffroy Plantagenêt, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Hugues d'Amiens, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1144...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Geoffroy Plantagenêt (non cité), duc de Normandie et comte d'Anjou, notifie à l'archevêque de Rouen, aux autres évêques et à tous les barons de Normandie, l'enquête faite par ses soins, sur la demande des papes Lucius II et Eugène III, pour reconnaître quels étaient les biens, les droits, les libertés et les franchises de l'église de Bayeux sous l'épiscopat d'Odon Ier de Conteville ; il ordonne d'en faire jouir, à perpétuité, l'évêque Philippe de Harcourt et ses successeurs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XXXIX, t. 1, p. 45-48.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Dux Normannorum, et comes Andegaviæ, Hugoni, Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, et omnibus episcopis Normanniæ, et omnibus baronibus, salutem. Christianorum principum est sua ecclesiis jura inconcussa illibataque conservare, et si aliquatenus fuerint, improborum hominum vexatione, turbata vel imminuta, ad pristinum suæ rectitudinis statum quam tocius revocare. Eapropter, quia Baiocensis ecclesia, post tempora Odonis episcopi, multa de jure suo perdiderat per subsequentium episcoporum incuriam, qui minus in conservando vigiles extiterunt, nos, prædictæ ecclesiæ in oppressionibus suis compatientes, juramento antiquorum et legitimorum hominum, qui rem noverant, fecimus recognosci jura, possessiones, consuetudines, libertates supradictæ ecclesiæ, quascunque habuerat in tempore Odonis episcopi, vestigiis regis Henrici inhærentes qui hoc idem juramento antiquorum hominum fecerat recognosci, post mortem Ricardi episcopi, filii Sansonis. Cujus factum bonæ memoriæ Lucius, et Eugenius papa approbantes, donationes, venditiones, commutationes ab omnibus episcopis factas, post Odonem episcopum usque ad Philippum, cassaverunt et irritas esse præceperunt. Nos igitur, prædictorum patrum nostrorum Lucii papæ et Eugenii litteris commoniti, et precibus Philippi, Baiocensis episcopi, compulsi, juramentum, quod rex Henricus fieri fecerat, ratum esse volentes, juramento eorumdem, qui tempore regis Henrici juraverunt, et aliorum recognosci fecimus jura, possessiones, consuetudines, libertates, quas ecclesia Baiocensis tempore Odonis episcopi habuerat et habere debebat. Recognita est igitur, inter cætera, leugata de Cambremerio, apud Falesiam, coram Roberto de Novo Burgo, et coram Rotberto de Curceio, justiciis meis, juramento antiquorum et legitimorum hominum qui subscripti sunt. Juramento itaque hominum, de terra Rotberti de Monte Forte : scilicet, Ricardi de

Warlainmont, et Ricardi de Altaribus ; et de terra Rogeri de Gowit : Roberti de Huchemainne ; de terra abbatis de Sancto Petro super Divam : Ricardi, filii Milonis ; Rogeri, filii Odonis ; Hugonis Taissun ; Amis ; de terra Simonis de Bosvilla : Gauteri Brittonis ; Roberti, filii Milonis ; Willelmi de Brueria ; Radulfi de Luto ; Ricardi Parvi ; de terra Rogeri de Gratepanche : Ricardi Durum Scutum ; Hugonis, filii Ricardi ; et de terra Gauteri de Pinu : juramento Ricardi Verroil ; de terra Hugonis de Crevecor : Ricardi de Fraisneto ; de terra Roberti Marmium : juramento Gocelini Vairun, recognita leugata est, et consuetudines, et emendæ, et termini quibus leuga continetur ; juraverunt itaque prædicti homines quod episcopus Baiocensis habet et habere debet, et quod Ricardus episcopus, filius Sansonis, habuerat in tempore regis Henrici de hominibus omnibus infra terminos manentibus statum theloneum de omni emptione et vendicione, infra terminos facta ex consuetudine, necnon et telonei non redditu, et sanguinis ibidem facti constitutam emendam. Juraverunt etiam quod licebat præposito episcopi per omnes terras infra terminos leugatæ justiciam suam libere exercere. Termini autem leugatæ hii sunt : incipit autem a Petra de Houcemainne, et distenditur usque in Alegot fluvium ; deinde protenditur, sicut Alegot currit, dum cadat in Viam fluvium ; abhinc, sicut Via discurrit, donec Oreta aqua cadat in eandem ; subinde, sicut Oreta descendit a vado Sancti Germani de Livet ; et inde, distenditur per domum Ricardi Garet, usque ad butam Manerbe ; abhinc autem, per medium Gratepanche, ad Petram de Houcemainne unde incipit. Ceterorum maneriorum occupationes juratæ sunt Baiocis, coram Ricardo de Haia, et Roberto de Novo Burgo, et Roberto de Curceio, et coram Engelgero de Bohone, a nobis ad hoc faciendum transmissis, congregatis ad hoc jurandum de singulis maneriis plurimis antiquis et legitimis hominibus quorum juramento ita omnino recognitum est, sicut continebatur in scripto quod factum fuerat secundum juramentum quod rex Henricus antea fieri præceperat. Recognitum est igitur, inter cætera, quod Carchenneium et Wolleium fuerant de dominico Odonis episcopi, et esse debebant subsequentium episcoporum, et fossa Luchunc ; et Mareschum, et herbergium ejus cum junco et arundine, ita quod Odo episcopus, et Toroldus, et Ricardus, filius Sansonis, ea in dominico suo habuerunt. Omnia igitur hæc, et cætera quæcumque de jure Baiocensis ecclesiæ ablata sunt, præcipimus ad jus ecclesiæ prædictæ redire, et in potestate episcoporum de cætero firmiter inconcusseque permanere. Testibus Ricardo, cancellario ; Roberto de Novo Burgo ; Roberto de Curceio ; comite Ebroicense ; Amauricio de Maistenone ; Gaufrido de Cleis ; Gufero de Brueria.